

D. D.  
*Meditationes;*  
De  
*Præcipuo, Hominibus in Terra,*  
*a Deo*  
*Proposito Fine.*

*Quarum* T  
Partem Priorem  
Conf. Ampliss. Facult. Philos.  
Modeste vindicabit  
*Josephus Mollin*  
Pbil. Mag. & Colleg. Sup. Sch. Tr. Ulab.  
Auditor,

Respondente  
*Martino Johanne Tolpo*  
Stip. Reg. Boreal.

In Auditorio Majori Acad. Aboëns. die VIII. Maji MDCCXC.  
T. A. M. S.

---

A B O Æ, Typis Frenckellianis.

*a* Signore

# PIEDRO JOVANE BLADH.

*Tu magnanimo Amico, il qual ritogli  
Al furor di fortuna e gvidi in porto  
Me sfortunato errante - - e quasi absorto!  
Queste mie carte in lieta fronte recogli,  
Che quasi in voto a Te sacrate i' porto. \**

*Colla piu perfetta gratitudine*

*di Tuo Onorato Nome*

*\* Tasso.  
il piu umile servitore ed il piu  
grato e devoto amico*

*GJUSIPPE MOLLIN.*



## §. I.

*Felix qui poterit rerum cognoscere causas!*

VIRG.

**F**ertur Hercules, cum ex ephebis excessisset, & vim  
juventutis animos suos extollere sentiret, in solitudinem  
sele recepisse, ibi ut sollicite meditaretur, quam  
vitæ ingredi viam deberet, quid hic factu sibi potissimum  
electoque duceret atque perquisitu necessarium, *Und Welt,*  
*und Nachwelt* dicit D:r Less, *Lobt sein Betragen und seine  
wahl a).*

En te in curriculum vitæ, jamjam ingressum!  
Ante aliquot annos nullus eras. Jam vero introduc-  
tum te huc vides; orsus es vitæ Scenam & res tua agi-  
tur. Post aliquod tempus hinc iterum evalsurus, nunquam  
reversurus.. Quid hic tibi faciendum erit? quidve curan-  
dum? Quis est finis, seu destinatio, cur te huc milerit mirabilis  
illa & excelsa manus, cuius in te & omnibus circum te  
exultantibus rebus admiranda vestigia vides?. Magna hæc  
est & præstantis ponderis quæstio: & digna fane, quæ ad

A

exem-

---

a) LESS über die Religion.

\* \* \* \*

exemplum *Herculis* vel *Socratis* pii, vel etiam *Marci Aurelii*, ab unoquoque mortali homine nocturnis perquiratur diurnisque *juxta disquisitionibus b).*

Quam autem magna est & miseranda mortalium in hac re, adeo imprimis utili, incuria. Illapsi in hunc campum rerum, cursitant miseris, instar pecoris plurimi quounque fors nasusque trahat; nec unum modo aut paucos reperies, qui ne momentum quidem horulæ substiterint atque pensitaverint: cur me hic posuit Deus? quid de me vult fieri?. Hinc fata etiam miseranda adeo & dolenda multorum reperies. Hinc lamentationes audies stultorum de mundo malo, quasi carcere & domicilio miseriарum — Deum accusantium! Hinc maleficia videbis laniantia carum genus. Hinc stultitiam, hinc infortunia, hinc miseriam omnis generis percipies, quasi pravus quispiam dæmon etiam, non solum benignissimum illud ac paternum Numen, amor & deliciæ rerum creatarum, mundo adornando manum admovisset.

Est autem perquirienda viatori via vitæ, qua eat recta. Aliter, qui poterit, cum totus illi orbis terrarum pateat, & mille ambages & devia libero aperta homini sint, cui nihil ferme rerum terrestrium negatum est — qui poterit fieri, ut is non saepe a recto aberret felicitatis tramite, & saepe miserandum in modum pessum eat & horrendis infortuniis immergatur? Singula enim in hac terra sublimari, quamquam aptissima sint suo quodque usui, & divino, uti satis appareat, affectu data, malo tamen esse, & a purissima usque luce cœli ad imum scorpii virus

---

b) Cfr. XENOPHON *Memorab. Socrat.* L. II. c. I. it. *Vie du Socrate*, p. MOS. MENDELSSON, it. MARC. ANTONINI *Eis' Eautor* atque Mare, Aurelii *Likfärd* (in *Sanning och Nöje* 1779).

\* \* 3 \*

virus ferre perniciem, possunt, cum iis imprudenter & contra naturam male utuntur mortales.

Quid igitur hic mihi præcipue faciendum est? quid maxime persequendum? Quid est justum & optimum, quod hic faciam & quæram? Sæpe nobis de rebus humanis cogitantibus, cum vastum aliquod & inane quasi sentiremus, & hanc ambiguitatem rerum pro imbecillia, quæ est, facultate intueremur, magna hæc & reverenda in animum incidit questio. *En te, quasi vox quædam inquit, in flumen injectum Almæ vitæ, naturæ fili; alea tua jaſta est, & res nunc tua agitur. En ut ruit præceps hora & ultimum quondam clamabit. Age quod ages: brevi forte non dabitur tibi hæc facultas!* - - - Quid vero hic erit faciendum?

Dicam, benigne Lector, cum mihi necesse sit his pagellis aliquid dicere, quid in hac re videre mihi visus sim. Adeo enim utilis est materia, ut delectet animum ea occupari. Dicam etiam ingenuæ ut ipse sentio & promodo exiguæ facultatis perspexi; liberum enim est, suam cuique candide periclitari innocuam cogitationem. Modeste autem hæc dicimus & subtimide, modeste, ut mortales decet, de quibus, sint etiam si volent, vel maxime sublimibus & vastis ingenii, tamen valet plerumque illud Poëtæ Philosophi:

*Born but to die, and thinking but to err c)!*

## §. II.

*Quis videatur esse hominum a Deo tributus præcipuus in Terra finis?  
Felicitas nimum.*

Mortalium finis — quam veneranda res & momenti magni plena! Multiplex autem hic tibi esse potest, uti

A 2 forte

¶ ¶ ¶

forte etiam est. Quis enim, cum videat cœlestem sapientiam, etiam in rebus minimis, uno instituto plura persequi solere, in hac maxima non eandem facile rationem suspicetur? De universo autem illo, nec nos, nec quisquam forsan mortalium aliis, certi quidquam & perfecti in vita hac, quasi inchoata tantum & adhuc involuta, adfirmare potest. Ut enim nescimus unde & ex quo statu veniamus, ita nec quo & in quos ordines & relationes ituri simus, per nos satis scimus d); neque adeo quibus omnino per universum totum rebus, & quem in finem cunctis, adhuc circumdati simus. Est immensum Dei opus & excellens, quemadmodum ipse ineffabilis omnium rerum sator est, infinitum quoddam & altum nimis comprehensu, ut illud non valeat mortalis oculus ullus penetrare totum, & merito symbolum ej inscribi possit idem, quod templo cuidam olim insculptum fuisse ferunt Ægyptiorum, quo naturam omnium rerum colebant: *Est quod fuit, & est & erit, & velamen illi toti mortolium adbuc abduxit nemo e.*

Est vero tamen datum nosse tantum, ut habeamus satis: tantum saltem, quantum hoc in statu nostro epichthonio opus nobis scitu sit, ut hoc statu frui bene possimus. Quod ipsum, quam jucundum dictu est atque cogitatu: sequamur modo naturam, eximiam illam atque amoenam compaginem rerum, ducem: — Hac vero facem ferente, quam apparet benignus in his terris & ex gratia sua ac miti sapientia admirandus, cum omnium aliarum rerum, tum homini imprimis a Deo optimo tributus

finis.

---

d) Qui dulces de his rebus videre velit, nec tamen omnino improbabiles conjecturas, adeat e. e. LAVATER *Ausichten in die Ewigkeit.*

e) MILLOT *Histoire Univ. de L'Encyclopédie Egypt.*

finis! In hunc enim præcipue finem creatos nos esse omnium rerum natura docet; magnum hoc & svaviter sufficiens datur nosse & videre; in hunc nos potissimum finem creatos esse, ut — *felices simus.* Ut e dulci flumine salutis, quod amor fundit cœlestis, lœti gratique bibamus!

§. III.

*Indicatur benignus hic mortalibus tributus finis, primum ex innato iis studio felicitatis.*

Hoc autem quam facile visu demonstratuque est, si animum advertas. Quid est enim, quod in te adeo assidue actitat? Quam in te jugiter audis indefessam vocem, alte, dies noctesque ad ultimum usque vitæ halitum clamitantem; aliquando miti spiratu & placido & amico; aliquando vehementiori, prout videtur res pretii esse; aliquando ægro & angente labore, aliquando errante & male sano, aliquando rugiente & horrendo furore? Nec in te solo hoc Numen inest verendum; sed in omni omnino re, quæ vitalem auram trahat. Cupido haec est & studium salutis ac prosperitatis. Felicitatem quemque infantulum in hanc terram editum, eandem pueros, adolescentes, juvenes, viros, senes, a prima usque vitæ suæ scintillula, ad ultimum, quo extinguntur momentum, queritare videmus. Errant saepe miselli de recta via, nobilitate sua & imperitia seducti, & hinc illis non raro anxius labor paritur & dolores ægri. Verum etiam hoc in bonum verget; permisit illud & videt Deus benignissimus.

§. IV.

*Animadvertisit secundo ad facultates atque constitutionem hominis, ad querendam felicitatem aptissimas.*

Et quam porro sunt mirabiliter prædicti singuli vitæ hospites facultatibus aptisque instrumentis ad hanc, quæ-

eis quærenda proposita est, felicitatem investigandam atque inveniendam, præmæque innatæ sibi legi obsequendum, si modo finibus suis convenienter iis utantur mortales. Et quam multis fariam data hæc sunt mille & centies mille modis, prout maxima est civitas Dei, & infinita animantium varietas, quibus sua cuique ordinata fuit via felicitatis f). Quam divite, ut cætera taceamus, præstantissimarum & machinatum & facultatum penu homo instrutus est, ad illam, quam percipit, exquirendam atque colligendam vitæ felicitatem, eaque fruendum! — Est ei opus, ut vere est & semper, ubicumque gentium vel temporum vel terrarum versetur, opus felicitate & bene esse? Opus, ut quid sit bonum, discat, perscrutetur, intelligat? En ei mentem datam, particulam, ut grata & venerabunda admiratione merito dicamus, Lucis divinæ! Illam ad omnia advertere potest, omniaque circumspectare mundana; indolem omnium rerum, utrum bona

f) Adtendistin' ad hanc infinitam varietatem hilaritatis vitæ, & donorum, quæ animantibus data sunt, ut singula genera, sua quodque via, eam quærant, ob quam imprimis vivere videntur, dulcedinem temporis, camque inveniant? Vix duo sunt genera avium, quæ eodem modo volent, vel piscium, quæ eadem ratione natent, vel animalium qualiumcumque, quæ eadem utantur vitæ ratione. Quod uni virus est, alteri est voluptas & dulcedo. Ita omnes suo munere in magna hac civitate divina, funguntur, & omnes, ipso hoc munere ad commune bonum & commodum fungendo, suam sibi paratam habent felicitatem. Digna sunt hæc cœlestia spectacula spectatore homine, cui sic datur soli forte in terra, esse testi & admiratori atque amico Dei, & dignam se in his rebus operam præstiterunt Celeberrimi viri D:n a LINNÉ in *Oeconomia naturæ atque Amoenitatt. Acad.* passim; SANDER van 't groote end Schoone inde natur (edit. Batav.) BONNET *Contemplation de la nature.* Anonymus quidam Angl. *The natur displayed,* WOLF, DERHAM &c,

bonæ sint an mala, justæ, an contra naturam, expendere; consilia omnia, utrum justa sint, an adversantia recto, reputare. Dati sunt ei oculi & omnes admirandi tensus, qui huic ei usui intervent, quorumque ope hospes ille immortalis, qui machinam istam admirandam inhabitat, rationes rerum & proprietates percipit.—Est autem porro opus, ut ad hoc quod percepérat, occupandum bonum eoque potiundum, si ab eo remotum est, se conferre possit? En igitur illi pedes datos, quibus illud adire poterit, adcurrere, advolitare, prout libuerit; ut cæteros præteream modos, quos spiritus hic rector in usum hunc excogitare valeat.—Est opus adhuc, ut bonum hoc adtingat, ut illud demum suo usui vertat, eoque hoc modo aut alio quodam utatur? En manus mira cœlesti sapientia fabricatas & divina impellente caritate! egregia illa atque pulchre simplicia instrumenta, quæ ad omnia sibi necessaria adhibere poterit, quibus omnia suo usui terrena subjicere, ac pro lubitu tractate valebit ff).

Atque simplicia hæc, verum apprime necessaria instrumenta, ut cætera taceam, te semper comitantur; tuo iussu obediunt, & temet ornant. Et hæc omnia ita constituta sunt, ut quoties iis rite utaris, totam te faviter adficiant, recreent, exhilarant, & operando tibi aliquod externum proficuum, intus quoque idem tibi præstent; innu-

ff) Putabit me forte quis de rebus nimis planis hic cum vana admiratione loqui, & omnibus notis. At hoc ipsum optarem, ut & plane & de planis loquerer rebus. Nam plane sunt & simplices viæ naturæ, ordinacionesque excelsæ ejus parentis. Et quam nimium intricatam videas veritatem, cognitioni ejus ne adhuc bene fidas. Videt de cætero & rusticus orientem quotidie Solem, nihilque plerumque ultra; ast dum pius HALLER eum videt, piusque ROUSSEAU, quem eos percipere credis sensum cœlestem?

\* \* \* \* \*

innumeras intra te machinas in motum cieant, quæ toti corpori tuo, singulisque ejus particulis, novam materiam, novas suppetias afferant! Quis est, qui hæc intuens & perpendens, vestigia divinæ sapientiæ & amoris non videat? Quis qui lubens sumimum & benignissimum naturæ patrem non veneretur & colat?

Cum autem hoc, quod cupiebas, bonum nactus es, & illud persequeris; quam est jucundus sensus, cum spei, tum delectationis, quem animo & pectori humano infudit salutis pater! Et quam paucis, verum impletu facilitibus, plerumque indigentiis sapienter prædicta est natura humana; instinctibus & impulsoribus fidelibus, qui ad gustandos jucundos istos sensus incitent mortales, modo ratio iis sana præsit & dominetur! En hunc, ut exempli causa hoc utar, Juvenem Jacob, qui ex domo patris sui in mundum egreditur: Deesse sibi aliquid sentit, quod adjungere sibi, obscuro licet sensu cupiat. Jam vero vidit Rachelem—Quis jam novus se explicat sensus! Quam felix sibi videbitur, si vitæ socia & deliciis, illa potiri valuerit! Quam sunt breves & spe hilares toti quatuordecim anni, in ea acquirenda insunti. Et sic in cæteris: quæ deliciæ patri filius natus? quod gaudium messis fausta cultori; opus laboranti effectum; portus nautæ exceptatus, & alia ejusdem generis sexcenta. Quam esset tristis & uniformi tædio plena vita terrestris, nisi hujusmodi eam indigentiis, quasi agitasset beneficus rerum pater, quo aliquid semper cuperemus, & obtento proposto lætaremur!

### §. V.

*Tertium gratiæ hujus finis indicium ex diti in hac Terra, abundantia rerum ad felicitatem humanam conducentium.*

Verum hæc omnia non satis adhuc paternum Satoris

ris nostri explanarent O. M. consilium & amorem operum suorum in terra collocatorum, nisi præterea hæc ipsa terra admodum amoena esset, & innumerabilibus ad felicitatem nostram & innocuam delectationem parientiam aptis atque dispositis rebus, instar ditissimæ cujusdam Gazeæ divinæ, plena & referta. Adverte autem ad hunc campum, in quo agimus mortales, animum: Numquid dives est? numquid amoenus? An non vides, auctorem ejus benefice & amanter gaudium & hilaritatem intendisse hospitum terræ? Quid est enim naturæ humanae gratum aut salutare? quid ad vitam jucunde degendam necessarium aut idoneum, vel humano generi, vel aliis animantium generibus pro sua quibusque natura & desiderio, quod non in terris videoas liberaliter paratum? Eluris an sitis? Habes innumeros fructus, innumeratas dapes, quas terra dives instar matris indulgentissimæ tibi offerat. Nudus es, & contra vim aëris indiges præsidio? En, pleni sunt campi, Silvæ Montes, herbarum, bestiarum, arborum, metallorum, quæ in usus tuos convertere poteris; capias modo, effingas & utaris, prout tibi fuerit visum! Vel tædet te, & oblectamento opus est atque animi recreatiōne? Labores! Agas tu etiam pro modulo tuo, sicut datum tibi est, rerum effictorem & quasi creatorem. Tuo & aliorum usui operam consecres, cum materia tibi omnis generis offeratur, dataque facultas sit semper aliquid novi ac proficui, saltēm quoad formam efficiendi; aut officia amicitiae aut amoris expleas, aut faveas uti pater iste summus, humanitati & omnium felicitati! Animus vero tibi altior est, & adhuc majora spectas? Habes innumera, eademque maxima admiratione digna, summi Numinis sacro sancta vestigia, quæ pio & venerabundo animo persequaris! Vestigia inquam o mortalis, ubi Auctoris tui omniumque rerum, in unoquoque flore & ver-

miculo, Majestatem & consilium animadvertes, ubi premium & dignitatem tui vitæque tuæ perspicies, destinationem & finem existentiae tuæ cernes, & felicitati veræ studia tua consecrare disces.

*Ty Han, af hvilkens ljud en dödlig syn skull mattas,  
Och hvilkens glants ej nog i evighet lär fattas,  
Han är det kåra barn, som så hans ynnest når,  
Har tusend gåvor skänkt, som vittna hvad han är.  
På bimlens silfver-hvalf, hans Majestät du skådar;  
I Åskans starka slag, sin Allmagt han dig bådar.  
Se ut på fältens prakt, hur ler han för din syn!  
Hur ljuf hans milda röst i fåglens sång i skyn!  
Den verldens urvårk stålt, hur vis at dig bevara!  
Och lasten gaf sitt straff, hur stor at rättvis vara!  
Han vårdar vist den mask, dit öga knappast ser,  
Du är hans barn, hans vän, hvad skål at hoppas mer! g))*

#### §. VI.

*Concluditur ex allatis rebus felicitatem utique finem esse præcipuum,  
cui vivat in Terra homo.*

*Ex his autem jam omnibus rebus, ex hoc alte indicato semperque in hominibus vivido studio felicitatis, ex quo*

g) GELLERT Moral. Förel. -- Myne Ziele gevoelt hare waarde, inquit: pulchre Celeb. SANDER in tractatu suo præstanti *Van het groote en Schoone in de nature* (edition. Batav.) haare mensklyke waarde, en haare vor de oneindigheid geschikte Bestemming nergens beter en gevoelt het nooit inniger dat zy van God is voorgebracht en weder tot God terug keeren zal, dan wanneer ik my midden in de vroelyke, lewendige en werkzaame natuur neder zette en my door den lewendigen geest der schepping, die van alle oorden herwaarts stroomt, laat aanslazen etc. I.. Stuck.

quo omnia eorum reliqua desideria factaque emanantur ex his, quæ iis datae sunt facultatibus ad fruendum sensu felicitatis, eoque gaudendum; atque ex ipsa hac felici & manifestæ bonitatis plena constitutione hujus terræ, quæ mortalibus data est, ut eam colant, quid jam colligemus, nisi optimum illum, quod devota & gratissima mente agnoscere debemus, patrem summum hæc omnia beneficentissimo consilio ita condidisse atque nos pariter ac cætera animalia, majori licet & minori gradu, ad felicitatem jam in hac terra sentiendam ex nihilo vocasse, ad particulam quasi ejus, quælpenes illum æterna perfectaque est, beatitudinis, gustandam. Ita decuit summam perfectionem, eandemque summam felicitatem, quæ, generositatis plena non potest non ex genuina sua indole omnisi rei prosperitatem faventer percupere; ita decuit summum bonum, liberos sensu gaudentes fingere & creare, quibus felicitatem, cuique pro modo ac capacitate sensuum suorum, largiretur & pararet!

## §. VII.

*Fatendum tamen, neque malis suis carere vitam humanam; quæ vero thesin non revertuntur.*

Fatemur equidem hanc felicitatem in hac terra, nec homini, nec cuiquam forte animantium alii, adeo perfectam esse & puram, ut ea nunquam interrumpatur doloribusque & ægritudinibus misceatur. Habent utique suum variæ calamitates, in sublunari hac sede, locum: terræ motus, tempestates, inundationes aquarum, incendia, bella horrenda, morbi, scelerata maleficiaque omnis generis; quæ hinc passim & illint, terram vastant, domicilium nostrum, & illam, de qua loquimur felicitatem vitae turbant. Verum quid hæc quælo, ubi firmo fundamento niti videamus generalem & præcipuam destina-

tionem terræ incolarumque ejus, ad felicitatem, quid hæc aliud produnt, quam illam, de qua mentionem fecimus, licet eam non omnem noscamus, locupletiorem esse longeque altiorem latiusque sese extendentem, destinationem & finem hominis; quin forte aliorum quoque animalium, quis enim id noverit vel ibit tuto negatum? De quibus igitur, cum ea plene non intelligamus, ac in statu hoc hemerobio plene intelligere nequeamus, loquemur caute, & tantum quod ad partem, quam videre nobis datum est; dicemusque interim (cætera quæ non perspicimus modesto venerabundoque animo spectantes) cum poëta:

*Stig up från boggd til boggd och skåda rymdens strand,  
Fall sen från djup til djup, tils sjelfva djupet felar:  
I alt se ondt och godt; men tig och kyss den band,  
Som tusend ömbets prof mot et af hårdhet delar.*

Veniet enim adhuc, post vestibulum hoc vitæ pertransitum, dies, quo hæc, quæ tibi adeo in his terris ardua, turbidaque, & luctifica apparebant, gratulaberis tibi & de iis gloriaberis.

### §. VIII.

*Quid de his malis cogitandum sit. Et in primis de malo physico, bonitatis Dei non repugnante.*

Ut autem de his rebus verbo dicamus ea, quæ nobis eas intuentibus visa sunt, recte hoc in terra nostra graflans, de quo queruntur mortales, malum, duplicitis omnino statuere rerum humanarum periti solent generis. Alterum physicum, uti dicunt, quod a nobis non pendet, sed ad oeconomiam, quin perfectionem ac præstabilitatem. Naturæ pertinet, ex eaque emanat, Ejus generis sunt

sunt varii casus physici, terræ motus, tempestates, efflavia noxia & quæ reliqua sunt. Alterum genus est morale, quod ajunt, & humanum malum, quod ad homines vere pertinet, quod illi sibi efficiunt, eisque maxime incommodo evenit. De priori genere ut hoc modo cogitemus, justum esse videtur: Cum liberos sibi summus rerum parens crearet sensu gaudentes, qui cum illo participes, pro modulo quisque suo, fierent cœlestis suæ, qua infinite beatus est, æternæque felicitatis; optimum ejus fuit consultissimumque visum, ut aliqui eorum corpore forent vestiti, cujus ope, quæ extra se fierent, sentire possent; utque in terra seu fundo collocarentur, ex rebus solidis facto, in quo agerent sentirentque. Ut autem sensus hic in illis varius oriretur, variique generis experientia illos bearet, ad hanc terrestrem illis sensim crescentem reddendam felicitatem, atque ad eam in majus extollendam, quam omnia portendunt quondam illis, saltim quod homines adtinet, adventuram, licet indolem ejus adhuc non noscamus; opus fuisse videtur, ut in motu fere perpetuo essent, cum ipsi hi terræ incolæ, tum alia res quæ illis hic in adminiculum felicitatis datae sunt. Absque enim motu quodam, sensus aliquis oriri posse non videtur. Ast, ut non semper, respectu motus hujus, novas res creare Summo Satori opus foret, quod sapientiam suam forte non deceret; Ut opus suum exelens ordine ageret, & semet, quamdiu gratiæ ejus indulgenti placeret, tueri posset; utque liberos hos, quos in isthæc quasi prædia sua per orbem totum misit, vere liberos & sponte & ex consilio agentes faceret, qui mundum sibi paratum haberent, quem cognoscere possent, & in eo libere & proprio quasi Matte agere, atque ex ipsis quasi prosperitatem suam sibi comparare: Consultum cœlesti auctori visum fuit, ut certis & constitutis legibus.

universus hic mundus regeretur & ageret, quo easdem causas eosdem semper effectus gignere mortales disserent, & ad normam illatum, felicitatem sibi, ad quam impellit prima a Summo Satore data lex, ex experientia casuum similium docti, pararent, atque quovis gradu cresentis suæ cognitionis & protectum suorum lætarentur, sibique novum emolumentum gratularentur. Agit ex his jam caussis, ut videtur, alma natura, quod suum est, ad felicitatem communem omnium rerum, legibus a summo Conditore sibi præfinitis sapientissimis, sanotissimisque obtemperans. Neque igitur si feriat quæcumque vis ejus aliquando Mortalem, & illum evertat, illud magis malum & injustum dici potest, amicæque institutioni magni patris adversum, quam cum in mola, quæ tuo usui & ex voto tuo tibi servit, dens rotæ alicujus, qui dentem alterius rotæ ex instituto offendit, in eum fortiter agit, ut hanc rotam circumagat, & ferit etiam atque lacerat tuum digitum, si is intervenerit. Cur enim illuc injecras? Cur circa fauces furentis Æthnæ versantur horridique Vesuvii, negligentes sui, mortales? Cur Scyllam adeunt & dolosam Charybdin? Cur ad alias terras per mare violentum incauti navigant avarique? Nonne enim data est copia, alio modo rectiori vivindi? Nonne datus est, quod bene imprimis advertas, paterna & cœlesti iustitia cuique animantium, quo majoris pretii præstantiæque sit, vel quo in majori discrimine versandum ei esset, eo major aut intellectus, aut sensuum quædam vis, aut quod aliud sibi consulendi adminiculum, quo pericula videre posset & se se tueri atque crises operantis naturæ effugere, quæ multorum & totius operis bonum respiciens, ob unius alteriusve incuriam, quovis momento cessare & subsistere nequit i). Cum itaque supra hæc adyertamus,

---

i) Cave tamen hinc credas, sicut physicum rerum processum ad leges

mus, casus hos, ex legibus naturæ, ad universam magni  
operis perfectionem operantis, severiores, adeo esse ra-  
ros, quod quidem nemo non videre potest, ut verbis  
Poëtæ allatis merito omnino assentiri debeamus:

*Som tusend ómbets prof mot et af hårdbet delar;*  
 tantum abest, ut hæc ab infictia inprimis hominum & in-  
 ertia cogitandi dicta mala, Thesin nostram, de gratioſo  
 Dei O. M. hominibus creandis proposito fine, feriant,  
 ut illam potius confirment & divinam optimi Condito-  
 ris generositatem illustrent... Quod si tamen existant ca-  
 sus in hac vita ardui nimis explicatu alicui visi, & diffi-  
 ciliores, quam ut eos bene cum generali Dei consilio  
 conciliare nos valeamus; meminerint homines nos non  
 tam soli huic vivere vitæ, licet & hic egregio utique  
 gradu jam felicitatis frui possimus, quam alteri cuidam  
 majori, excelsiori & longe illustriori educari ac maturos  
 reddi; ei, quam & nostri animi, quo probiores sumus  
 eo ardenter perennitatis cupido, & hujus auræ cœlestis  
 infinita facultas plura addiscendi & longius in virtute pro-  
 cedendi, & illa, quam nemo hic non videre potest, ju-  
 stitia & bonitas magni nostri Gubernatoris & auctoris,  
 (quem quo oculos cunque vertamus, omnes res demon-  
 strant) ut cætera taceamus, aperte portendunt. In illo subli-  
 miori statu, in illa excellentiori vita, perspicies forte oculo  
 illu-

---

certas institutæ statuamus, nos latronum crudeli more, a quo abhor-  
 remus, virtuti sacre & pietati dulce suum solamen & spem hilarem  
 de cœlesti Dei benevolentis providentia, extorquere velle. Quod qui-  
 dem solamen nec nos ipsi nobis abripi volumus, dum vivamus; & de  
 quo hæc nostra spes est: Non posse Deum O. M. licet certe opus ejus  
 SS. ad leges datas procedat, non posse eum non adspicere ad mentem  
 rectam piamque, quæ opem ejus & cœlestem curam implorat, illam  
 que juvare, quando & quomodo divinæ suæ sapientiæ fuerit, bonitati-  
 que optimum viſum.

illustrato clarius, hanc auream catenam rerum, & ea de quibus forsan hic querebaris, mala, videbis saepe semina fuisse egregiorum fructuum.

*Hops bumbly then, with trembling pinions soar  
Wayt the great teacher dead, and God ador  
What futur blif, he gives not te to know  
But givis that hope to be ty blessing now k).*

### §. IX.

*De Malo Morali: Nec illud bonitati Dei repugnat.*

Ad alterum vero de quo loquendum erat malorum genus, seu *peccata*, quod adtinet, ac errores humanos, malum vere nostrum; de eo haec nostra sententia est: summum esse specimen favoris & benevolentiae divinæ erga homines, quod illos amicitiæ suæ capaces crearit, & liberos, & spectatores restesque, ut sunt, Majestatis suæ divinæ, qui hinc eum diligent & colant pie. En istic præstantiam hominis summumque culmen magnæ ejus destinatio[n]is! Qui vero amici nomen vere tueatur; qui recte vereque amare possit; cuius laus & cultus vera laus esse queat; hunc necesse est, esse liberum, suæ spontis, suo consilio agentem. Aliter, quæ tibi vera laus, quæ amicitiæ jucunditas exspectanda erit ex machina, quam ita constituisti, ut instar Automati, non possit non te laudare? Quam ita constituisti, ut non possit non de præstancia tua loqui, vel tibi, necessario morem gerere motu? Qui autem liber erit, hunc necesse est, posse facere quæ velit, etiam contra præscriptam normam posse agere, si eo ferat mentis arbitrium. Colligis hinc, nostro quidem judicio, probabilem nec Deo indignam rationem, quare homo

---

k) *Essay an Man.*

homo liber fuerit condendus atque potentia præditus, quam etiam ad peccandum, per abusum adhibere valeret. An tu maluisles machinam esse coecam, an feliciorem te putaveras, majorisque in magna hac civitate Dei momenti, si animal necessariis adstrictum motibus te effecisset Deus, quam liberum hominem, cui datum est, suo consilio optimi Numinis expetere amicitiam, illaque frui, ultroneum & lætissimum agere perfectionum suarum testem, filiique ejus honorifica ornari dignitate? En generosam institutionem divinam! Excelsa quæ mortalibus destinata sunt fata! Ut autem ne pecces, quæ te inde impedit invincibilis necessitas? Nonne mens tibi data fuit, tæda illa cœlestis? Nonne ex luce sua divina facem tibi accendit deditque in manus, optimus rerum parens? Hanc mentem, quam quis dicet quoisque cognitionis limites extensura est? Uttere modo ea rite, et pro pretio præstantis hujus depositi, cum magna cura. Et invenies jam magnam felicitatem 1). Aliter, justam lues ingratitudinis & incuriæ tuæ pœnam. Quod si autem erraveris aliquando, invitus, omni licet quæ potuit, cura cavendi adhibita; Nonne Deus est & pater? Nonne tu filius ejus honoratus, cuius ille felicitatem cupit? Nonne remedium ab illo beneficentissime repertum est, & data spes ut omnia quondam pio & fideli servo Dei in meliorem reducantur statum, quam vel exoptare possis, nendum divinare? In vita itaque degens, in morte occumbens, ha-

C

bes

1) Ita a nobis in hac magni momenti re fieri deberet, uti de suo Regē canit pulchre Celeb. KLOPPSTOCK Od. am Fredrik V.

*Wie dass ernſte gericht fürchtbar die vase nimt,  
Und die Könige vägt, wen sie gestorben sind;  
Also vägt Er sich selbst jede der Thaten vor,  
Die sein Leben bezeichnen soll.*

bes rationem sperandæ a Deo beneficente felicitatis, habesque gratiæ infinitæ canendæ materiem,

§. X.

Oritur jam excipitque magna quæstio: quid sit vera felicitas, etiam in his percipienda terris? & quid facendum, ut ea potiamur? Verum hæc pro ratione, cum temporis, tum aliarum cauſalarum, ad aliam occasionem, si fata concesserint, expendenda, differre cogimur; majori forte etiam interim experientia & facultate ad hanc rem arduam solvendam, aucti & instructi.

